



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] conuenienter prohibeantur aliqui cibi ieiunantibus? 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

re tradidit spiritum . Ieiunantes enim dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur: secundum illud ad Gal. 5. Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.

Ad primum ergo dicendum, quod status veteris testamenti comparatur nocti; status verò noui testamenti, diei: secundum illud ad Romanos 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Et ideò in veteri testamento ieiunabant vsque ad noctem, non autem in nouo testamento.

Ad secundum dicendum, quod ad ieiunium requiritur hora determinata, non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem. Sufficit enim quod sit circa horam nonam. Et hoc de facili quilibet cognoscere potest.

Ad tertium dicendum, quod modicum augmentum, vel etiam modicus defectus non multum potest nocere. Non est autem magnum temporis spatium, quod est ab hora sexta, in qua communiter homines comedere consueuerunt, vsque ad horam nonam, quæ ieiunantibus determinatur. Et ideò talis taxatio temporis non multum potest alicui nocere, cuiuscumque conditionis existat: vel si forte propter infirmitatem, vel ætatem, aut aliquid huiusmodi, hoc eis in magnum grauamen cederet, esset cum eis in ieiunio dispensandum, vel vt aliquantulum præuenirent horam.

ARTIC. VIII.

Vtrum conuenienter ieiunantibus interdicitur abstinencia a carnibus, & ouis, & lacticijs?

Ad octauum sic proceditur. Viderur, quod inconuenienter ieiunantibus interdicitur abstinencia a carnibus, & ouis, & lacticijs*. Dicitur enim supra, quod ieiunium est institutum ad concupiscentias carnis refrænandas. Sed magis concupiscentiam prouocat potus vini, quàm esus carniùm. secundum illud Prover. 20. Luxuriosa res est vinum. Et ad Ephesios 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Cum ergo

713
4. d. 15. q.
3. ar. 4. q.
2.
* a. 6. h. u.
in quas.

ergo non interdicatur ieiunantibus potus vini, videtur quod non debeat interdici esus carniū.

1. 2. q. 30
art. 1.

¶ 2 Præterea, Aliqui pisces ita delectabiliter comeduntur, sicut quædam animalium carnes. Sed concupiscentia est appetitus delectabilis, ut supra habitum est. Ergo in ieiunio, quod est institutum ad concupiscentiam refrænantandam, sicut non interdicitur esus piscium: ita non debet interdici esus carniū.

¶ 3 Præterea, In quibusdam ieiuniorum diebus aliqui ovis, & caseo vtuntur. Ergo pari ratione in ieiunio quadragesimali talibus homo uti potest.

SED contra est, communis fidelium consuetudo.

art. 6. huius quas.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est, ieiunium ab Ecclesia est institutum ad refræmendas concupiscentias carnis, quæ quidem sunt delectabilia secundum tactum, quæ consistunt in cibis & venereis. Et ideo illos cibos Ecclesia ieiunantibus interdixit, qui & in comedendo maxime habent delectationem, & iterum maxime homines ad venerea prouocant. Huiusmodi autem sunt carnes animalium in terra quiescentium & respirantibus, & quæ ex eis procedunt: sicut lacticinia ex gressibus, & oua ex aubus. Quia enim huiusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum. Et sic ex eorum comestione plus superfluit, ut vertitur in materiam seminis, cuius multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ. Et ideo ab his præcipue ieiunantibus, Ecclesia statuit esse abstinendum.

¶ al. natiuitatum.

Ad primum ergo dicendum, quod ad adumptionem rationis tria concurrunt, scilicet calor, spiritus & humor. Ad calorem quidem maxime cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus. Ad spiritum autem videntur cooperari inflatiua. Sed ad humorem maxime cooperatur esus carniū, ex quibus maximum de alimento generatur. Alteratio autem caloris & humoris

& multiplicatio spirituum cito transit: sed substantia humoris diu manet. Et ideo magis interdicitur ieiunantibus esus carniū, quā vini vel leguminū, quæ sunt inflatiua.

Ad secundum dicendum, quod Ecclesia ieiunium instituens intendit ad id quod communius accidit. Esus autem carniū est magis delectabilis communiter, quā esus pisciū: quamuis in quibusdam aliter se habeat. Et ideo Ecclesia magis ieiunantibus prohibuit esum carniū, quā esum pisciū.

Ad tertium dicendum, quod oua & lacticia ieiunantibus interdiciuntur in quantum sunt ex animalibus exorta carnes habentibus. Vnde principalius interdiciuntur carnes, quā oua, vel lacticia. Similiter etiam inter alia ieiunia solemnius est quadragesimale ieiunium: tum quia obseruatur ad imitationem Christi, tum etiam quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostræ mysteria deuotè celebranda: & ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carniū. In ieiunio autem quadragesimali interdiciuntur vniuersaliter etiam oua & lacticia. Circa quorum abstinentiam in alijs ieiunijs diuersæ consuetudines existunt apud diuersos, quas quisque obseruare debet secundum morem eorum, inter quos conuersatur. Vnde Hieron. * dicit de ieiunijs loquens, Vnaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.

*in ep. ad
Luci. qua
inci. Nec
opinanti
miki, ir.
fin. fo. 1.*

QVÆST. CXLVIII.

De gula, in sex articulos diuisa.

¶ Deinde considerandum est de gula.

¶ Et circa hoc quærentur sex.

- ¶ Primo, vtrum gula sit peccatum?
- ¶ Secundo, vtrum sit peccatum mortale?
- ¶ Tertio, vtrum sit maximum peccatorum?
- ¶ Quarto, de speciebus eius.
- ¶ Quinto, vtrum sit vitium capitale?
- ¶ Sexto, de filiabus eius.